

Disputatio Juridica
De
**TRIBUS HEREDITATEM ADEUNDI
MODIS ET INVENTARII
CONFECTIONE**

Quam
D. T. O. M. A.
Magnifico Jctorum ordine approbante

Ex
Praelectionibus publicis ad L. ult. C. de Jur.
deliberandi petitam

SUB PRÆSIDIO
Viri Amplissimi, Excellentissimi
ac Consultissimi

DN. CONRADI CARPZOVII
J. U. D. Electoris Consilarii, Antecessoris Academiae
Witteberg. Consistorii Ecclesiastici ibidemq; Facultatis Juri-
dicæ & per inferiorem Lusatiam Judicii Adessoris dignissi-
mi, Promotoris, Præceptoris & Hospitis summo
observantiæ cultu venerandi,

Publico examini subjicit
GEORGIUS MALLUJANUS S. Pomer.
In Auditorio Jctorum horis à 7. matutinis,
Ad 24. diem Martii.

WITTEBERGÆ,
Typis **GEORGII MÜLLERI,** Anno 1631.

Explicatio Juridica
D.
TRIBUS HEREDI-
TATEM ADEUNDI
MODIS ET INVENTARI
CORRECTIONE


Magnifici Johannis ordinis archidiaconi

D. GONRARDI CARSTENOVII
IUD. BUCH. CONSULT. AUCTORITATE ACADEMICAE
WIESEN. CONSULT. RECTOR. ET RE. FACULT. JUR.
DIE. PRAEF. ORD. JUR. PRAEF. ET RE. FACULT. JUR.
DIE. PRAEF. ORD. JUR. PRAEF. ET RE. FACULT. JUR.

GEORGII SALILLIANI S. J. ORD.

Typis Georgii Meißneri in Lipsia Anno 1671





THESIS I.



Res hodie sunt viæ adeundæ hereditatis 1. rectâ hoc est statim sine deliberatione & inventario. 2. Cum jure deliberandi. 3. Cum beneficio inventarii. Prior viæ sunt lubricæ & periculosæ; Posterior ut est frequentior: sic tutior est propter insignes ejusdem effectus. *Harpr. in §. sed nostra 6. Instit. de hered. qualit. & differ.*

II. Sicut heredes qualitatibus sunt dissimiles ita ratione dissimili hereditatem adeunt. Quidam enim sunt certi (sive sint testamentarii sive ab intestato, sive ex toto asse, sive ex parte) qui non dubitant, (utpote hereditate ipsis ex voluntate, eorum infixâ, ut loquitur Imper.) hereditatem solvendo & locupletem esse; hi uti statim hereditatem adire queunt nec beneficio indigent *l. ult. §. cum igitur 1. C. de Jur. deliber.* Sic alteri qui animo titubant eam statim, aut certè intra tres menses ab apertis tabb. sine præfatis beneficiis repudiare possunt. *l. ult. §. 1. inf. C. eod. Giph. ad pr. h. l. p. 89.*

III. Prior uti omisâ inventarii confectione & petitione juris deliberandi adeunt, sibi que omnia in hereditate acquirunt *d. §. cum igitur 1.* Sic posteriores qui statim repudiant nihil damni nec emolumentum inde ferunt, adeo ut illi omnibus creditoribus, legatariis & fideicommissariis oblegati permaneant, nec amplius hac viâ electâ regressum ad aliam habeant, sibi imputantes, quod hanc periculosissimam elegerint *l. ult. §. 1. & §. sin vero 12. C. b. t. (Giphanius in f. princ. hujus leg. refert quod moribus in tota germania non servetur)* alteri vero (repudiantes intellige) deinde pœnitere & heredes postea

existere, nequeunt, l. 4. C. de repud. hered. hereditas enim semel repudiata amplius adiri non potest *Vvesenb. in π. de acquir. vel amit. hered. n. 8.* nisi sit minor, qui adversus repudiationem restitui potest, l. ult. C. de repud. vel abst. l. 7. § restitutus ff. de minor. vel pupillus, qui sine tutoris autoritate repudiavit, ipso jure non est obligatus, l. 5. C. de repud. vel abst. hered.

IV. Aditio autem hereditatis alia est in suis, alia in extraneis, de quibus differentiis vide *Treutl. Vol. 2. disp. 12. th. 1. per tot.* licet ipsi propriè loquendo non adeant, §. extraneis *Inst. de hered. qual. & diff. ibiq.* Dd. Declaratur & exprimitur vero illa vel verbis l. gerit 88. ff. de acquir. vel amit. hered. l. 6. C. de jur. deliber. §. ult. *Inst. de hered. qual. & differ.* quibus verbis fieri debeat vid. *Menoch. 4. presump. 100.* vel facto & re ipsa videlicet gestione n̄e pro herede, quando heres, ut heres suoque jure & nomine aliquid facit nec extra nomen heredis facere potest l. pro herede 20. in pr. ff. de acquir. vel amit. hered. l. 1. C. de repud. hered. *Alth. Diaol. lib. 1. c. 43. num. 23. postq̄ cum Harpr. §. ult. Instit. de hered. qual. & differ.*

V. Jure deliberandi utimur, quando hereditatem nec adivimus nec repudiavimus l. si curatoris 9. l. cum in antiquioribus 19. C. de jur. deliber. Deliberatio enim præsupponit arbitrium adeundi vel repudiandi, siquidem ut supra dictum, non potest amplius adita hereditas repudiari nec repudiata adiri l. qui patroni 55. §. qui fideicommissam 2. ff. ad Scutum Trebell. & competit non solum heredibus sed eorum quoque heredibus, quomodo & quamdiu vid. l. cum in antiquioribus 19. ibiq̄ *Donell. & Sichard. C. de jur. de lib.*

VI. Hoc tempus olim à testatore heredibus præficiebatur & cretio dicebatur, de qua *Ulpian. in fragm. tit. 22. §. 27. & seqq.* quæ duplex erat vulgaris & continua eod. tit. §. 31 *Borch. in §. extraneis Inst. de hered. qual. & differ. n. 5.* Vulgaris in qua adjiciuntur hæc verba. Quibus scieris poterisque. Continua in qua non adjiciuntur, & in ea cretione computantur etiam dies illi, quibus quis ignoravit se heredem institutum esse, aut scivit sed cernere non potuit *Borch. alleg. loc. Ulp. d. t. §. 31. 32.* Hæc cretio

109
cretionum scrupulosa, solemnitas jam sublata est l. 17. C. de Jur. deliber. à quonam & quando vide apud Rittersh. ad Nov. par. 7. c. 31. num. 1.

VII. Quando verò à testatore tempus non præfinitum fuerat, à Præatore impetrari solebat l. 1. §. 1. ff. de Jur. delib. intra quod tempus perpenſis exacte rebus hereditatis inspectisque rationibus atque instrumentis, quæ illis communicanda sunt, deliberarent an adire vel repudiare vellent l. Aristo. §. ff. de Jur. deliber. quod tamen peti desuit postquam Justin. deliberandi jus ad annum spatium determinavit d. l. 19. C. de Jur. delib. VVeſemb. in π. de Jur. del. n. 5. Hill. in Donell. lib. 7. c. 3. lit. C. ubi plura comoda & onera hujus beneficii explicat.

II X. Quæri hic solet an præcisè amplius tempus non peti nec ulterius extendi possit? Sed quia absurda lex quæ ita præcidat omnem exceptionem in re, quæ circumstantiis variatur, dicendum, quod casus gravissimæ causæ exceptus sit, cum & olim, si tempus non suffecisse aut aliam magnam causam subesse probatum erat, indulgeri soleat, l. 3. 4. ff. de Jur. delib. aut si carcere, morbo vel hostium potestate impedito tempus elapsum sit, contra ejus lapsum restitui posse æquius est argum. tit. ff. Ex quib. caus. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 41.

IX. Nam ut dictum lubrica est hæc adeundi via siquidem vix fieri potest, ut sine damno sit, qui hanc ingreditur. Sicut deliberantes in varia sunt differentia, vel adeunt, vel non adeunt intra deliberandi tempus, vel repudiant: sic singulis varia accrescunt onera. Adeunti duo impendent incommoda; Si hac via adit licet unum inventarium fecerit, nihilominus omnibus creditoribus in solidum obligatur propter deliberationem & spretum beneficium §. fin autē 12. in pr. in l. ult. C. h. t. & in hoc passu ipsi adimitur beneficium respectu creditorum, non legatariorum, vel adit & non conficit inventarium & sic non solum creditoribus sed etiam legatariis in solidum obstringitur, amisso etiam L. Falcidiæ beneficio, l. ult. §. fin autē 2. vers. Si quis a. C. de Jur. del. ibiq. Donell. & Hill. in Donell. lib. 7. c. 3. lit. q. eleganter & perspicue tradit. Ex quo Monticul. in comment. ad

A 3

hanc

banc leg. in §. all notat, quod hodie impetrans deliberationem & faciens inventarium reducatur ad terminos priores, quando non esset inventarium confectum. Nam tenetur, ut dictum, in solidum creditoribus & ex superfluo legatariis præstat & retinet falcidiam Montic. d. l.

X. Non adeunti nec repudianti, lex quia illum pro ad-eunte habet, similiter eadem onera sufferenda sunt §. *sin au-tem* 14. verbo non recusaverit *ib q, Gothof in nor. quod olim jure florum non ita fuisse ibidem annotat ex l. 69. in ff. de acquir. hered.* Repudianti autem post tempus deliberandi hoc onus imponitur, ut res omnes restituat creditoribus, aut his qui ad hereditatem vocantur, quantitatem rerum jurejurando eorum, quibus restituuntur, æstimandam, quam tamen judex ut aliis in hoc juramento moderatur, *l. videamus 4. §. jurare 2. ff. de in litem jurando.* Ante elapsum deliberationis tempus repudians sine damno est *arg. §. pen. in f. & §. 1. in l. ult. h. t.* Sed num filius hereditatem repudiare, legitimam autem acceptare possit & quomodo vid. *Dn. Præs. in prælect. publ. ad auth. ex causa de legitim satis dextre pro & cont. disputant. & eleganter concludentem parte quinta in f.*

XI. Hoc deliberandi beneficium non per beneficium inventarii sublatum est, sed heredi unum eorum amplecti eoque uti liberum est *l. ult. §. 14. vers. cum gemini C. de Jur. delib. Rittersh. ad Nov. p. 7. c. 21. n. 12 in f.* quamquam nullam aut parvam utilitatem præ alio obtinere videatur *l. ult. §. & hec quidem 13. vocabulo supervacuum C. eod.* unde non magis beneficium quam gravamen vetus ab Imp. Just. nominatur §. *extraneis in f. inst. de hered. qualit. & §. sin autem 14. vers. cum autē in f.* ibi vetus gravamen. Nam quod tempora deliberationis productiora sunt, quam inventarii, heredem parum juvat: quoniam hoc tempus eo fine constituitur, ne hæres in damno versetur; confecto autem inventario nullum damnum esse potest, nec illud multum prodest ne vires hereditatis patefiant, quæ æque hereditate non adita & creditoribus missionem in eam urgentibus patere possunt *Bacch ad Treutl. vol. 2. d. sp. 12. th. 7. lit. a.*

XII. Tutissimus itaque trames rudis & novus à numine
Imp.

Imp Justin. repertus §. *sin autem* 14. *vers. cum enim gemini. C. eod.* per quem adeuntes sine damno conservantur, est inventarium, quod si legitime secundum prescriptum & formam Imp. Just. fuerit confectum conficientem nullo damno affici patitur, sed ab eo plane immunem prestat, cujus ordinaria sedes cum sit in *l. ult. C. de Jur. deliber. quam in publicis praediction. Dn. Prastr. Etavit*, ejus filium & ductum sequens eandem doctrinam in praesentem *oxéψiv* referre placuit.

XIII. Inventarium (Germanice *Fundbuch*) dicitur ab inveniando, quia in eo hereditatis res descriptae, quot quales & ubi sint, inveniuntur & cernuntur *l. ult. C. a. b. tut. Gl. in l. tutor. qui repertorium ff. de administ. tutor.* Alii quod sit omnium bonorum defuncti mortis tempore existentium in praesentia legitimarum personarum rite confecta descriptio *Mejer. in Colleg. argent. ff. de acquir. vel amitt. hered. n. 31. l. ult. §. 2. C. de jur. deliber. ibiq. Dd.*

XIV. Aliter tamen conficitur inventarium ab herede, aliter à tutore vel curatore in bonis pupilli vel minoris sive testamentario sive legitimo sive dativo; hi ex necessitate illud conficere tenentur, vix enim dolo caret, quid illud negligit aut intermittit, nec citius administrationem tutelae suscipere vel negotia utiliter expedire potest *l. tutor. 7. in pr. ff. de administ. tutor. l. 13. C. arbitr. tutel. ibiq. Goth. in not. lit. 1. Matth. Steph. ad Nov. 1. n. 32. Coras. in tract. de invent. n. 2.*

XV. Causa efficiens inventarii est vel remota vel proxima haecq; vel principalis vel instrumentalis. Remota est Imp. Justin. qui illud ipsum introduxit & ita salubriter fieri constituit *l. ult. §. 2. C. de J. deliber. §. 6. Inst. de hered. qualit. & differ.* Proxima & principalis est heres sive extraneus sive suus, sive Ecclesiasticus sive Laicus, sive Princeps, sive subditus, sive miles, sive paganus, quamvis horum aliqui, licet non confecerint, non teneantur ultra vires hereditatis *Nov. 1. c. 4. §. fin. qui vel per se vel per procuratorem facere possunt.* Si res alio loco sitae sint, *l. ult. §. 3. in f. C. b. t. quod Salic. h. l. etiam extendit ad eum qui praesens est, sed personaliter interesse nequit, Bacchov. ad Treut. vol. 2. disp. 12. th. 8. lit. a. Angel. de Perus. in tract. de invent. p. m. 514. in f. n. 3. in f.*

Hic

XVI. Hic sese offert famosa illa quæstio de herede suo an is ob intermissum inventarium legitima privandus veniat? Ubi negantium partes sequi tutius & æquius esse putamus. i. quoniam à testatore filius adimi non potest, nisi iustâ exheredationis causa accedente Nov. 115. c. 3. tum quod legitima jure naturæ debita non queat tolli *l. cum ratio 7. ff. de bon. damn. & in locum alimentorum succedit* Nov. 18. c. 3. nisi de fraude & malitia constat, tum quod sit æs alienum *Auth. hoc amplius C. de Fideicom.* quod inventarii neglectio adimat falcidiam non autem legitimam, quæ in deductionem falcidiæ non venit. Gl. autem inter legatarios & creditores distinguit, ut horum respectu amittat, non illorum *Treutl. disp. 12. th. 9. l. 4. ibiq; Bacch. Geil. 2. Observ. 138. n. 14. Alth. in Dicaol. lib. 1. c. 44. n. 13. in f. Myns. in §. sed nostra n. 24. Inst. de hered. qual. & differ. latissime Porcell. in tracta. de inventar. n. 14. Diss. Mejer. in Colleg. Argentor. tit. de acquir. vel omitt. hered. Sinolt & Schuz disp. Justinean. 10. th. ult.*

XVII. Non minus frequens & anceps illa quæstio est huic non dissimilis an Trebellianicam amittat heres in fideicommissio universali qui non fecit inventarium? Negativæ similiter ut in praxi receptæ: sic in æquitate fundatæ calculum adjicimus. (1.) Quia sicut heres respectu coheredis non tenetur facere inventarium *argum. l. ult. h. t.* Sic neque respectu fideicommissarii, qui loco coheredis habetur *l. si filius 5. §. 2. ff.* Quod cum eo (2.) quod Trebellianica à jure heredi gravato concessa ei in hoc casu non reperitur adempta propter omissionem inventarii, quare nec nos citra legis sensum eidem hanc adimere attentemus *argum. l. si vero 64. §. de vero 9. ff. solut. matrim. Nov. 2. c. 3. circ. med. ibi,* nec quælibet est lex talia dicens. (3.) quod odia sint restringenda non amplianda *l. pen. ff. de pœnis c. odia 15. de R. J. in sexto*, tum quod in augustissimo imperii judicio secundum hanc sit judicatum, quæ præjudicia vim legis obtinent. *Geil. lib. 2. Observ. 138. Myns. cent. 3. obs. 66. Porcellinus latissime per aliquot folia, ubi ad contraria argum. respond. p. m. 534. postq; eum Andr. Fachin. lib. 4. controvers. c. 38. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 9. n. 37. Harpr. ad §. sed nostra 6. Instit. de hered. qual. & differ.*

Præ-

111

XVIII. Prædictus hæres fiduciarius si inventarium fecit an illud etiam fideicommissario prodest, ne dein aliud facere opus habeat, disquiritur? sed quia fideicommiss. hæres onera & æs alienum exsolvere debet, l. 1. §. 2. ff. ad Sctum Trebell. & l. 1. C. eod. quia est hæredis loco l. postulante 44. in f. ff. ad Sctm. Trebell. Si itaq; ex sua persona in solidum non obligari & legis beneficio frui desiderat, legibus ut pareat necesse est, quia actus extra suum usum alteri non prodest, siquidem actiones quæ competunt heredi ex sua provisione non transeunt facta restitutione per Trebellianum, sed nova cessione opus est, l. si heres pecuniam 73. in f. ibiq; Gothofr. in not. ff. ad Sctm. Trebell. quâ etiam fideicommissarius utatur necesse est, si beneficiis prioris inventarii gaudebit, imò si non vult, heredem ad id cogi posse affirmat Gothofr. ibid. lit. e. quoniam omne id ipsum fideicommissario cedere cogitur, quod opera & industria sua acquisivit, l. 22. ff. de constit. pecun. l. 1. §. 3. ff. quod legator. l. 25. in f. ff. d. administr. tutor.

XIX. Pupilli autem inventarium prodest substituto pupillariter quoad creditores paternos & legata relicta in primis tabulis, siquidem beneficia, quæ in rem sunt, ea si in personam concepta sunt, ad heredes transmittuntur, l. heredem 59. l. in omnibus 68. ff. de Reg. I. non autem quoad creditores pupilli nec quoad legata in secundis tabulis: Durat enim ratio, quare confici debeat, ne in potestate sit heredis fraudare defuncti voluntatem subtrahendo res hereditarias Nov. 1. c. 2. vers. sancimus in pr. Sola enim testantis bona in pupilli inventario sunt consignata, & quoniam ad substitutum etiam pupilli bona ex deficiente persona pervenerunt, cum quibus, si priora non sufficiunt, satisfacere teneretur, quæ bona ne ab eo intercipientur, novum inventarium conficere necesse habet, Pac. in analysi Cod. tit. d. Jur. delib. n. 11. in f. Coras. in tractat. de inventario n. 20. p. m. 540.

XX. Inventarium autem per tutorem, ut sibi decernatur administratio tutelæ, pupillo non prodest, quo minus seneatur ultra vires hereditarias: quia est diversi generis in-

B

venta

ventarium & ad alium finem tendit, & alia forma insimul
usurpatnr in cōfectione hac; ubi autem utriusq; solemnitates
essent adhibitæ, & consuetudo loci approbaret, non diffiten-
dum ipsi quoque prodesse posse, quæ consuetudo est proban-
da, aliàs secundum jus commune judicaretur. *Gvido Pap. in*
tract. d. inventar. n. 9. inf. p. m. 546. Pac. in analysi Codic. tit. de
jure delib. n. 14. inf. Gothofr. ad d. l. ult. §. 4. lit. f.

XXI. Similiter minoris inventarium, qui beneficio æ-
tatis restitutus ut abstineat, vulgariter substituto prodesse di-
cendum est, *l. in integrum 22. ff. de minor. minor. 31. ff. eodem l. quo-*
tiens 44. ff. de acquir. hered. l. ait prator 7. §. sed quod 10. ff. de minorib.
& si velit aliud facere, non posset. Semel enim ritè confecta
& judicata in illum etiam invitum transire dicuntur, l. ex con-
tractu 44. ff. de re judic.

XXII. Pupillus, minor, fatuus, furiosus, ægrotus licet
ab inventarii cōfectione non immunes, sed tamen quia re-
cta voluntate, animo, & valetudine corporis, quæ ad id re-
quiruntur, destituti sint per tutorem, curatorem & procura-
torem recte ut expediant, operæ pretium erit. Ubi-
cunque enim de periculo eorum agitur, eorum judicio auctoritate,
consensu & expeditione indigent, argum. pr. inst. de auctor.
tutor. *l. obligar. 9. §. 3. ff. de auctor. & consens. tutor. l. cui bonis*
60. ff. d. V. obl. l. neq; famina 54. ff. d. procurat. argum. princ. in f.
inst. de iis, per quos agere poss.

XXIII. Uti filii in successione parentum inventarium
conficere necesse habent: sic similiter parentes & imprimis
Pater iu bonis filii adventitiis inventarium conficere debet,
quia qui restituere ea obligatus est, de iis quoque inventari-
um conficere necesse habet, quia alienare & obligare ea bona
non potest l. cum non solum § ipsum autem 5. vers. non a. licentia C. de
bon. qua liber. non licet rationes de iis reddere non teneatur,
tamen administratione finitâ reddere cogitur, quicquid in
iis fuisse probari potest, ad cujus rei probationem inventari-
um necessarium est, *porcell. in tract. de invent. p. m. 521. n. 14.*
Harppr. §. 1. inst. de leg. Agn. Tut. n. 9. 10. & seqq. aliudq; est de
jure

112
jure novo, aliud jure veteri, hoc obtinebat, pater bona jure
peculii, l. pen. §. pater 3. vers. & si testamento de Castr. pecul. illo
verò jure successionis arg. Nov. 118. vel ab intestato, vel here-
de instituto.

XXIV. Idem de mulieribus & rusticis dicendum, quan-
quam propter imperitiam illis etiam ignosci debeat, l. ult. C.
de testam. tamen, quia illa æquitas non est scripta, sed habe-
mus rigorem scriptum, hoc est, ut omnes teneantur inven-
tarium facere, nisi velint teneri ultra vires, concludendum,
quòd illa jura, quæ sunt introducta ad conservationem rigo-
ris, habeant etiam locum in mulieribus & rusticis per l. placu-
it, & ibi Gloss. & DD. C. de Jud. l. prospexit ff. qui & à quibus. Si-
chard. in l. ult. §. scimus n. 6. in fin. C. de jur. deliber. Vide de his
prælectiones Dn Præsidis ad Leg. Juris 6. C. qui admitti ad honor.
possess. poss. ubi varios casus enarrat in quibus, & quomodo ru-
sticorum & mulierum imperitia & ignorantia excusatur.

XXV. Ut non minùs Ecclesia aut Collegium licitum
heredes institui possunt, l. ult. C. de Sacros. Eccles. l. 12. C. de hered.
instituentis quæri solet, an illa ad confectionem inventarii æquè
teneatur? quia illa nō minùs ad eundem quasi contrahere videtur
sicut alia persona & iisdem cōmodis frui satagit: Similiter id de
oneribus asseverare justitiæ est, quia textus Nov. 1. clarus, qui
in omni persona hoc obtinere disposuit, idq; eò magis, quo-
niam similiter jure canonicò receptum est aut certè non im-
probatum argm. c. Raynutius ibiq; cum inventarium fecerit X. de
testament. Fach. l. 6. contrav. c. 2. illumq; secutus Matth. Ste-
phani ad Nov. 1. n. 33 sic tamen, ut salvum maneat jus Eccle-
siæ restitutionem petendi adversus omissam inventarii con-
fectionem.

XXVI. Ab Ecclesia similiter concluditur ad monaste-
rium, quod, cum per omnia succedat monacho, ejusq; jure
utatur, dicendum est, quod, uti ille ab hoc non exemptus est,
sic neq; hoc, cum surrogatum sapiat & ferat naturam ejus, in
cujus locum surrogatur, licet similiter illud non ultra vires
teneri,

teneri, sed privilegio restitutionis uti posse, velint. *Diduc. spin. in spec. testam. n. 17. Gl. 35.*

XXVII. De fisco non est dubitandum: nam cum Imperator statuit, in omni persona sive privata, sive Imperiali obtinere, nec fiscum exclusisse velle, utpote, qui suam personam non exclusit, *d. Nov. 1. c. 2. l. 7. C. qui testam. fac. poss.* sed quia fiscus duplici respectu ad bona alicujus transit; primo jure Majestatis seu Regalium. Secundo, jure successionis. Priori modo non ut heres succedit, & sic non potest conveniri ultra vires. E. g. quando vel ex delicto, vel propterea, quod sint vacantia bona & nullus heres reperiatur, *l. si vacantia ult. C. de bon. vacant.* quod etiam Jure Saxonico urbes merum imperium habentes, licet superiorem recognoscant, habere refert *Wesemb. in π de jur. Fisci n. ult.* posteriori, quia heredis vices sustinet, heredum jure uti necesse habet; quamquam *Peregrinus in tract. de jur. Fisci. lib. 4. tit. 1. n. 3.* illum hoc passu non ad inventarii confectioem astringendum esse contendat *Matth. Steph. in expl. Nov. 1. n. 33.* de principe idem jus erit *argm. l. cum heredes. 7. ff. qui test. fac. poss. & l. 3. C. de testibus.*

XXVIII. In milite exceptionem ponunt, nam militem uti legis Falcidiae beneficio, licet non confecerit Inventarium, verius esse putat *Matth. Steph.* quia milites oneri hereditario subjectus non est, quamvis omiserit inventarii confectioem, *§. Extraneis autem Inst. de hered. qual. & diff. l. ult. in pr. vers. sed & ff. de jur. deliber.* Vetus enim privilegium militibus à Gordiano datum adhuc illis durat, licet hoc *Gl. de jur. Nov. 1.* sublatum esse velit, tenetur tamen miles quatenus non obtemperat testatoris voluntati; deinde quatenus testator vetat Falcidiam deducere, nam si parere non vult, substitutis datur locus *Nov. 1. c. 2. §. 2. vers. si verò infr. Matth. Steph. d. l. Gothofr. in notis §. ult. dict. N. 1.*

XXIX. De heredibus haec tenentur quinam Inventarium conficere tenentur; jam de qua re illud ipsum fieri oportet & constat ex *l. ult. §. 2. In vers. 1. C. h. t. de omnibus rebus quae*

113
in defuncti bonis sunt, siue sint res corporales, siue incorporeales, *l. item videndum 18. §. ult. ff. de pet. hered. l. 16. §. 5. ff. ibid. l. 40. §. actiones 2. ibid.* siue mobiles siue immobiles, eaq; vel plenò jure, h. e. dominiò & possessione, siue minùs pleno quo ad dominium tantùm, vel possessionem tantùm, *l. 9. l. 10. l. 12. §. 2. ff. famil. ercisc. Montic. tract. inv p. 36. n. 1.*

XXX In Inventario consignandæ quoque veniunt res depositæ, pignoratæ, commodatæ & similes, quia earum rerum periculum ad heredem spectat, *l. & non tantùm 19. in pr. ff. de petit. hered. l. 41. §. 7.* & facilè exinde damnum sentire potest. 2. quia pro iis, tanquam pro rebus hereditariis agi potest, *Nov. l. c. 2. vers. verò.* 3. quia tales res dicuntur esse hereditate, *l. si de eo §. si forte in f. ff. de acquir. possess.*

XXXI Non autem omnia in conspectu ponenda sunt, quod, licèt rigor juris exigere videatur, praxin tamen in contrarium esse, asseritur, neque precium seu valor exprimendus, uti *Petr. Greg. 46. Synt. 3. & Dd. volunt res omnes per peritos viros mutuo consensu heredis & creditorum &c. eligendos æstimari debere, de quo cum Justin. constitutio nihil, meritò id displicet Valaf. cons. 52. n. 23. Hill. in Don. Enuc. l. 7. c. 3. l. k.* nam per quantitatem hic non valorem seu rei æstimationem, sed rerum numerum intelligit, uti illud ipsum ex *l. si quis intra 7. C. d. bonis proscript. l. ult. C. d. bonis vocantibus.*

XXXII Quid si res proprias heres in Inventario describat, distinguere solent, aut eas scienter aut ignoranter inseruit; priori modò eas amittere concludunt, *arg. l. ult. circ. pr. C. arbitr. tut.* posteriori non item, quia nemo rem suam jactare præsumitur. Simile iudicium de Testibus etiam ferri solet, qui res suas in Inventarium redigi viderunt & tacuerunt, eò enim ipsò, quod consensum Instrumento dederunt, sibi præjudicasse intelliguntur, *l. fidejussor. 26. §. 1. ff. de pignoribus,* quod tamen sub distinctione affirmant, quam apud *Mont. pag. 37. videre licet.*

B 3

33. Heres

XXXIII. Heres ut res proprias scienter inferendo amit-
tit; sic res defuncti dolosè omittens beneficiis Inventarii non
fruitur: Quod similiter de debito heredis, quò defuncto
obligatus fuit, exaudiri oportet; nam, ut unà creditum suum
cum cæteris creditoribus nanciscitur: Sic similiter suum
debitum reticere & in fraudem creditorum intervertere,
non debet; Deniq; in Falcidia supputanda æqua habetur
ratio heredis debitoris & creditoris, l. 1. §. pen. l. 87. §. 2. l. 48.
ff. ad leg. Falc. l. 6. & 8. C. ad leg. Falc. circa quam duplex jus
annotari solet. (1.) Jus Digestorum quò jure perdebat solum
falcidiam in re subtracta l. Paulus 48. ff. ad Scm Trebell. & sius
heres abstinenti beneficium non habebat, l. si servum 71. §. si
quis 4. ff. de acquir. vel amit. hered. (2.) fuit jus constitutionis de
quo in l. ult. §. licentia 10. C. de jur. deliber. & rerum, si quas sub-
trahat heres, duplum restituere cogitur & hereditatis quan-
titati computare in § licentia 10. d. l. ult. Giph. p. 92.

XXXIV. Bona quando quis non solum in uno territo-
rio & loco possidet, sed in distinctis & diversis regionibus, sic
Inventarium ibi potissimum fiat, vel ubi major hereditatis
copia, ad absentia procuratorem mittet, quæ vel ritu & more
solitò ejusdem regionis in designationem referet, vel alteri
adjiciet, non autem ab uno loco ad alterum transvehere
potest, l. ult. §. si autem 3. in f. ibiq; annotante Gothofr. d. l. dt lit. r.

XXXV. Quoniam fructus hereditate jacente, l. item ve-
niunt 20. §. item non 3. ff. d. petit. hered. hereditatem augent.
Hill. in Don. enucl. l. 7. c. 3. lit. K. & omnia, quæ in adeunda he-
reditate inveniuntur, in Inventarium redigenda sunt, quo-
niam illa augmenta non minus in hereditatem computantur,
l. postulante 44. §. sed in hujusmodi i verbo respondi ff. ad Scm.
Trebell. l. quod de bonis §. fructus ff. ad leg. falcid. quam res ipsa,
d. l. 20. §. 3. quæri solet, cui accedant: nos inter creditores
legatarios & fidei commissarios distinguentes, creditoribus
indistinctè sive ante, sive post Inventarium percepti, sint eos
accedere, atq; exinde iis satisfaciendum esse opinamur. Ab-
gel. de perus. in tract. de Invent. n. 23.

Quoad

XXXVI. Quoad legatarios & fideicomissarios singulares diversæ sunt opiniones; aliqui eis fructus legata rei statim debere; aliqui ex die mortis; aliqui ex die aditæ hereditatis; aliqui ex tempore factæ interpellationis vel simplicis vel judicialis eis debere asserunt, quas opiniones & earum rationes apud Treut. vol. 2. disp. 13. th. 7. lit. h. ibiq; apud Bacchov. videre licet, nos cum Bacchovio ex tempore moræ, sive illa per interpellationem judicialem l. 1. & ult. C. de usur. legat. sive per interpellationem extrajudicialem, l. 2. C. de usur. Legator. l. 18. in pr. ff. ad Sc̄tum Trebell. l. 23. de legat. 1. l. 87. l. 24. §. 1. ad leg. falc.

XXXVII. Post confectum Inventarium fructus percepti non novo Inventario, sed quali quali ratiocinio eos inferere, eoq; probari posse sufficit, & si quæ res noviter emergunt tutò aliis in Inventario annexi possunt, nec opus est solennitatibus prioris Inventarii, quod ut eò securiùs faciat, opus est protestatione, quam subscribens annexere debet, de qua inferius thes. 63. Sich. ad §. sin autem dubius n. 11.

XXXVIII. Hactenus quinam & de qua re faciendum sit inventarium; jam quomodo illud ipsum fieri oporteat, quoad solennitates, ubi multipliciter variant, DD. Hug. Don. ad l. ult. C. de jur. delib. n. 6. ponit. (4.) Aliqui 9. ut Johan. Dilect. Durand. Guald. tit. 11. caut. 8. n. 2. Paul. Castrensis in d. l. fin. §. sin autem dubius 8. Angel. Aretin in §. extraneis. instit. de hered. qualitat. & differ. nec non Iason porcell. Sneider in inst. ad §. extraneis n. 14. d. hered. qual. & differ. Aliqui 10. ut Corneus &c. Nonnulli 6. inter quos Althus. dicitæolog. l. 1. c. 44. n. 73. Multi 15. hos inter Montic. in tract. de invent. Aliqui Neotericorum 3. uti & Giphon. & Rittersh. quos sequitur Ampliff. Præses; cui etiam in hærendum est; & consistunt 1. in tempore. 2. in personis. 3. in confirmatione sive subscriptione.

XXXIX. Tempus illud est trimestre, spatium trium mensium, intra quod Inventarium inchoandum, conficiendum & absolvendum, qui tres menses accipiuntur pro nonaginta diebus, sicut in singulos menses triginta dies computantur,

putantur, ex quo observari volunt, quòd, quoties in jure nostro fit mentio mensis, toties triginta dies intelligantur, quamvis menses sint dispares, & nonnulli 31. habeant, *h. l. ult. ibiq; Ampliss. Dn. præs. ad §. sin autem 2. C. de jur. deliberan.* licet jure Canonico aliter obtineat, ubi tot dies computari debent, quot quilibet mensis habet, *Gl. in c. quam sit verbo mensem de Elect. in 6to. Sichard. ad §. 2. n. 2.*

XL. In hisce tribus mensibus aliud est tempus inchoationis, aliud absolutionis. Primum est 30. dierum, intra quos omninò inventarium inchoari oportet, & currit non à die institutionis vel aditionis, sed cognitionis ab apertis tabulis *l. ult. §. 2.* & licet intra hoc tempus non inchoetur, sed inter alterum restans absolvatur, non protinus corrumpit Inventarium, quia non est tanta solennitas, sicut tempus perfectionis *argm. l. 1. §. fin. ff. de vent. inspici.* tum quod quoties mea mora alteri non nocet, tunc illam purgare licet, nec ideo quis in pœnam incidit, *Didac. Spin. in spec. testam. Gloss. 35. n. 28.*

XLI. Alterum absolutionis seu perfectionis tempus est 60. dierum, intra quos absolvi debet tam in præsentibus, quam in absentibus *ex h. Const. Jure 2. Novell. 1. quæ tribus annis post edita dicitur à Giph. in pr. hujus leg. distinctio adhibetur & præsentibus semestre præstituitur; longè autem absentibus, annus, qui ad consummationem inventarii datur, & à tempore mortis Testatoris exordium capit, d. l. ult. ibiq; Giph.*

XLII. Hi autem dies non sunt utiles sed continui, hoc est non interrupti sed connexi & cohærentes qui toties computantur & attenduntur, quoties aliquid est in expedientis potestate, & extrajudicialiter fieri potest; utiles vero numerari solent, cum agitur de actu aliquo judiciali, aut coram prætore sive magistratu peragendo *l. 1. ff. de divers. & tempor. action. l. miles 11. §. quidam 5. ff. ad L. Jul. d. adulter. l. jure 6. C. eod.* At confectio inventarii non fit coram magistratu, sed fit extra judicium adhibitò tantùm tabulariò & creditoribus &c. *Giph. ad h. l. p. 99. in pr. & quolibet tempore & locò expediri potest, sic ut die feriatò factum non inutile sit, l. qui habes*

115
habet 3 §. quolibet 3. tempore ff. de tutel. Angel de perus. in tract. de
invent. n. ult. Giph. c. 2. de form. & Effect. Invent. Rittersh. ad Nov.
p. 6. c. 8. v. 40.

XLIII. Etsi quam plurimi existiment inchoationis tem-
pus initium sumere ab adita hereditate, Gl. in verbo delatam
hic Cyn Bart. Bald. & DD. commuu. Decius conf. 633. n. 2. Rol. &
Vall. vol. 2. conf. 73. n. 34. Eman. Suarez in lib. recept. sentent. in
verbo Inventarij n. 163. verius tamen 30. illos dies à delata heredi-
tate numerari, h. e. in causa testati ab apertura Testamenti,
quippe ante apertas tabulas hereditas delata non intelligi-
tur, quam quis adeundo non potest consequi, l. delata 151 ff.
de V. S. Dn. Praeses d. l. Giph. c. 2. de form. & Effect. Invent.

XLIV. In causa verò Intestati ex eo tempore, quo dela-
tam sibi hereditatem heres cognovit, in §. si autem dubius, 2. h.
l. nost. & cum apertura testamenti heredi quoq; nota esse
debeat, dicendum est, in utroq; casu tempus currere à noti-
tia heredis, & hujus ratio non est in obscuro: Inventarii
enim beneficium, sive confectio ejus pertinet ad dubitantes,
uti ex pr. hujus §. 2. constat, qui enim dubitat, non statim adit,
sed potest uti remediis vel Inventarii vel juris deliberandi,
illud quando eligit, statim potest adire & Inventarium con-
ficere, quò casu non expectanda erit aditio, ut currat tem-
pus Inventarii, sed curret ex eo, ex quo cognovit, se esse he-
redem, h. e. ex quo dubitare cæpit. Imputet enim sibi qui
statim potuit conficere Inventarium, Dn. Praeses d. loc.

XLV. Hoc præfixum tempus similiter ut in jure delibe-
randi th. 8. dictum, heredi justa de causa veluti carceris in-
clusionione morbo, captivitate impedito, non currit, vel contra
lapsum ejus in integrum potest restitui, l. miles 11. §. quidam 5.
ff. ad L. Jul. d. adult. ibiq; Gothofr. in not. arg. tot. tit. ff. ex quibus
causis Major. Integr. Rittersh. ad Nov p. 6. c. 8. n. 7. in f. quæ sen-
tentia humanior, æquior & benignior videtur, cum Impedi-
tus justa de causa ignoranti sit similis & aliàs justæ impedi-
menti causæ excusare solent, l. non exigimus 2. §. 1 ff. si quis cau-
tion. & tempus ad aliquid faciendum de jure præfixum dicitur

C

utile

utile nec currere ignorantibus vel impedito impedimento facti vel juris, *Coler. de process. execut. p. 2. c. 3. n. 344.*

XLVI. Hæc dicta intelliguntur de aditione cum inventario sine eo verò libera ad eundem potestas est, usq; ad triginta annos, qui ignorant sibi delatam esse hereditatem, *l. licet 8. C. de jure deliber. l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Ampliss. Dn. Lindem Præcept. meus pl. honorand. disp. 3. Instit. juris tit. de hered. qual. n. 10.* Aditio enim beneficium juris civilis, quæ remedia durant perpetuò, h. e. triginta annis *Instit. de perp. & temporal. idq; tam adversus illos, qui totam hereditatem vel singulas res possident, vel titulo pro herede vel pro possessore, quia jacente hereditate non incipit præscriptio, Sichard in d. l. 8 n. 7 qui alleg. Gioff in l. ea quæ in f. verbo adita hereditas C. de temp. in integr. rest. Wesemb. in π de acquir. vel amitt. hered. n. 7. Treutl. disp. 12. th. 5. sub lit. e. vol. 2.* Ubi Wesemb. hanc cautelam subjicit, ut creditores & legatarii petere possint, quò ei, ad quem spectat successio, certum tempus definiatur intra quod adeat, vel repudiet, *l. si curatoris 9. C. de jur. deliber.*

XLVII. Tempus illud trimestre cum in favorem creditorum & Legatariorum constitutum sit, prolongari non potest. *Sichard. n. 8 Menoch. lib. 1. conf. 89 n. 138. Cav. conf. 193 num. 70. Rauchbar. p. 2. quæst. 24 n. 22.* Nec obstat, quò dilationes sint arbitrariæ & possint abbreviari vel prolongari per judicem, *l. sive pars 3. C. de dilat.* Nam ut rectè respondet, *Sichard. d. n. 8.* illud pertinet ad dilationes judiciales. In dilationibus a. extrajudicialibus, cujusmodi est dilatio inventarii conficiendi, judicis nullæ sunt partes, tenetur n. stare termino legali. Moribus tamen nostris aliquando etiam legitimi istius temporis iustis de causis, concedi solet prolongatio petentibus id à magistrato ordinario, ut post *Giph. monet Ritters. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 7.*

XLVIII. Ex iis, quæ de trium mensium spatio dicta, apparet, jure civili jacentis hereditatis tria considerari tempora (1) à die mortis defuncti usq; ad tempus aperti testamenti, (2) à die cognitæ successionis usq; 30. dies & (3) ab istis 30. diebus usq; ad 60. dies inter præsentibus, & annum (qui, ut antè dictum,

116
dictum, à morte testatoris numeratur) inter absentes, intra quod perfici debet Inventarium, Nov. 1. c. 2.

X L I X. Jure verò Saxonico tempus jacentis hereditatis inter presentes non est, nisi 30. dierum computandorum à tempore scientiæ mortis defuncti, vel cognitiæ sive didictiæ ex testam. vel ab intestato hereditatis, quod adeò privilegiatum est, ut intra illud creditores hereditatem jacentem inquietare vetentur, in tantum, ut quævis sententia contra viventem lata illo defuncto intra hoc tempus hereditate nondum adita executioni demandari nequeat, ipsis etiam heredibus possessionem bonorum defuncti nisi rerum servandarum causâ ingredi licet. Landr. l. 1. art. 22. Ibi. anders sol das Erbe seine gewalt haben vor dem 30. &c. Ampliss. Præs. in 1. memb. solen. d. l.

L. Rationem diversitatis adducunt, quod jure civili heres aditâ hereditate sine Inventario creditoribus in solidum teneatur & sic longiore deliberatione indigeat; jure Saxonico autem non item, Reinh. p. 6. diff. 57. Coler. de process. execut. p. 2. c. 3. n. 397. Nam in terris Saxoniae Inventarium confici debet intra 30. dies, quò tempore elapso non prohibetur jus executionis adversus hereditatem jacentem persequi, Col. d. l. 3. n. 4. p. 3. & seq. Ex quo Bacchov. ad Treutl. vol. 2. disp. 12. th. 8. lit. b. concludere vult, quod Inventarii confectio de illo jure planè cesset, sed Inventarii ritè confecti non solus finis est liberatio ab oneribus creditorum & legatariorum; sed liberatio à præstatione juramenti, quod necessariò ab herede præstandum est, si illud negligat de quo suprâ.

L I. Ratione hujus temporis differentia Inventarii Tutoris, curatoris & heredis elucet: Illi statim, postquam sunt ordinati h. e. quamprimum fieri poterit Inventarium rerum pupillarium vel minorum solènniter facere tenentur, l. tutor 7. in pr. ff. de administr. & peric. tutor. l. tutores 24. C. eodem. Sichar. ad d. l. 5. sin autem dubius n. 2. nam ante confectioem omnia eorum gesta sunt inutilia l. legitimos 5. ff. de legit. tutor. vid. suprâ th. 14. Hi intra prædictum tempus & ante illud negotia hereditaria curare possunt, d. l. ult. C. h. t.

C 2

Secun-

LII Secundum solennitatis membrum consistit in personis, quæ non sunt quæ faciunt, siquidem de illis supra th. 15. actum, sed quæ faciendo adesse tenentur, uti sunt Tabularii publici, creditores, legatarii, Fideicommissarii eorumq; procuratores sive Mandatarii, testes, qui locò absentium iuruntur. *l. ult. §. 3. in f. C. h. t. Giph in §. sin autem p. 91. h. t.*

LIII. Notarius inter has primus est & maximè necessarius, *Nov. 1. c. 2. §. fiat igitur l. ult. §. 2. C. de Jur. deliber.* Soli enim tabulario fides non adhibetur in hereditatis inventario *Nov. 1. c. 2. §. 1. vers. si vero, quod secus in Invent. orborum l. Orphanotrophos 32. C. de Episc. & Cler. Nov. 13. in fin.* Sed nec absq; eo valet inventarium, licet mille testibus probari possit, illas res per aliquem descriptas & non alias fuisse inventas, quia pro forma solennitatis Notarius requiritur; oportet autem illum rogatum esse nec ultrò venisse, seq; obtulisse, ut innuitur *in d. l. ult. §. sin autem.* In verbo *hereds jubente* & si rogatio non appareat, tamen facta præsumitur, ut *DD. in Auth. rogati C. de testibus & per l. sciendum ff. de V. obl.*

LIV. Quanquam in sæpe allegata lege *ult. §. sin autem C. de Jur. deliber.* habeatur sub præsentia tabulariorum, quæ locutio est pluralis, & ad minimum duos complectitur, dicendum videtur cum *Mejero in colleg. Argentor. tit. de acquir. vel amitt. heredit. n. 32. in fine,* quod plures & ad minimum duo secundum *l. uti numerus 12 ff. de Testibus* adhibendi sint; sed quia sæpe in jure nostro singularis pro plurali, & pluralis pro singulari usurpari solet, ut notat *Gl. in l. 1. C. de his qui in Ecclesia manumit.* ubi dicitur, manumissiones posse fieri in Ecclesia adhibitis locò testium Antistitibus, & tamen sufficit unius Antistitis præsentia, cum non sint unius loci plures Antistites vid. *Gl. in verb. Notariorum in l. nost.*

LV. Præterea quid pluribus opus foret cum Notarii persona per principem, vel eum, qui creandi Notarios potestatem habet, ad hoc est legitimata, ut instrumentis ipsius cum debita solennitate confectis fides tribuatur, *Gail. 2. observ. 11. n. 13. Sixtin. de regal. l. 2. c. 15. n. 15.* quanquam non negandum, casus

casus quosdam emergere posse, ut duo Notarii adhibeantur,
de quibus casibus inferius.

117
LVI. Debent simul huic negotio interesse creditores,
fideicommissarii, legatarii, quorum omnium Inventarium
ritè confici plurimum interest: Et licet *in alleg. l. ult. C. de jur.
deliber. & Nov. l. c. 2.* Creditores nominatim non requirantur;
intelliguntur tamen per verbum cæterorum, quod clariùs
ex *Nov. l. c. 2. & Auth. sed cum C. ad leg. Falcid.* collatione li-
quet, quod etiam ratio juris satis luculenter svadet, cum in
omni actu eorum consensum, quos actus concernit, exquiri
deceat, & quod omnes tangit, id ab omnibus approbari de-
beat, *l. in concedendo §. ff. de aq. & aqua pluv. arcend. dicendum,*
quòd Creditores non minus, sed multò magis interesse, quia
certant hi de damno vitando, alteri de lucro captando, *Be-
nincas. in tract. de privil. pauper. p. m. 984. n. 30.*

LVII. Sin prædicti morbo vel aliis negotiorum difficul-
tibus impediti huic actui interesse nequeunt, vel eorum
dignitas, ut sunt illustres, quibus parùm convenit, ut talibus
minutis rerum perscrutandis & tractandis præsentis sint,
vel verecundia sexùs obsit, quò minus talibus negotiis se im-
miscant, suos mandatarios mittere possunt, *Auth. sed cum in
verb. aut pro eis agentium circ. med. C. ad L. Fal. Nov. l. cap. 2. §. 1.*
Sin & hos abesse contingat, tres ejusdem civitatis testes locu-
pletes, & viri boni seu integræ opinionis assumendi sunt, *Nov.
l. c. 2. qui ut cognoscant heredem addit & exigit Ritt. ad Nov.
p. 6. c. 8. n. 8. Mejer in Colleg. argent. vol. 2. tit. de acquir. vel amir.
hered. n. 32. ante quos Coraf. absentium cognatos vel affines,
vel si qui fortè alii sunt, quos verisimile est propter necessitu-
dinem vel charitatem absentium defensionem non omistu-
ros esse, l. hæc autem §. 1. ff. Qb. ex cas in poss. eatur, adhibere sua-
det tract. de Invent. n. 18. p. m. 540.*

LVIII. Ubi pro cautela sciendum, quòd testes prædi-
ctos ità qualificados esse oporteat, nisi heres ad jacturam in-
ventarii & difficultatem probandi adigi velit; siquidem
qualitates istas testium, producens probare tenetur, qua de
C 3 causa,

causa, ut extra hoc periculum sit, heredi incumbit iudicem adire, & apud illum testium nomina profiteri, & petere, ut iudex declarare velit, num sint idonei, sic testes autoritate iudicis adhibiti pro idoneis habendi, & heres eo tutior erit, Nov. 1. c. 2. *juncta Auth. sed cum testator C. ad L. Falcid. ibiq; Dd. vid. Dn. Praef. d. l.*

LIX. Oportet autem eos certiores factos esse per citationem, circa quam sic distinguere solent; aut heres certus est, quinam sint creditores legatarii vel fideicommissarii, vel incertus, priori modo eos personaliter citari vel ad domum iis denunciari curet, ut appareant, *Auth. si omnes C. si minor se ab hered. abst. l. ut perfectus 2. C. de ann. except. vel ipsi, vel eorum procuratores, eo die, hora & loco ad videndum effici, ab herede in bonis defuncti legitimum inventarium. Posteriori modo ut vel per programma vel edictum citentur, l. si eo tempore 6 C. de remiss. pignor. Rosbach in proc. civil. de citat. per edict. n. 2. inf. & sufficit una peremptoria citatio, uti Guid. Papa in Gallia observatum fuisse refert in tract. de invent. n. 2.*

LX. Sin autem nonnulli creditores fuerint citati, nonnulli non, inventarium ex parte citatorum valebit, ex parte non citatorum non valebit, *arg. l. de unoquoq; 47 in pr. ff. de re jud. l. non idcirco 44. ff. de judic. l. Fulcinius 7. S quid si adversus 7. inf. ff. quib. ex caus. in poss. eat. quod tamen procedit, ubi heredi de Creditoribus constat, ubi autem sunt ignoti & per programma vel edictum citati, valet, licet nec unus compareat, Rosbach. in proc. civil. c. 27 n. 7.*

LXI. Succedit tertium requisitum, videlicet subscriptio, qua se heres propria manu subscribat, & confiteatur, se quantitatem rerum ibi descriptarum agnoscere easq; res apud se esse. Sin autem ipse literarum ignarus, vel gravi de causa impeditus loco suo Notarium alium roget & ad subscribendum adhibeat, *l. ult. s. sin autem 2. in f. C. h. t. quod ipsum Notarius notificare debet, monente Benincas. in tract. de privileg. piar. caus. p. 984.*

Requie

LXII. Requiritur insimul, ut heres scribendi ignarus venerabile crucis signum præponat, *l. ult. §. 2. in f. h. t.* quo intuitu, heres æternæ salutis memor ad excludendam fraudem & aliquorum bonorum occultationem nullum dolum adhibeat, siquidem Deo omnia aperta & pervia esse reminiscitur, sicuti videmus crucem Christi & SS. Evangelia inratu proponi, ut sint salutis æternæ memores, *Sichard. n. 26.* Quod tamen moribus nostris non observari sed solius notarii subnotationem sufficere notat *hic post Giph. Rittersb. ad Nov. d. l.*

LXIII Non tam necessarium quàm utile heredi, est his protestationem subnectere vel per se vel per Notarium, ut, si quæ ponenda sint, quæ posita non fuerunt, & si quæ posita sint, quæ poni non debuerunt sibi exinde nullum præjudicium inferri velit. Hæc protestatio non solum heredi, sed etiam creditoribus & aliis utilis esse potest, heredi, quatenus excusatur præsumptivè à mala fide, si quædam res per ignorantiam aut oblivionem sunt omissæ. Creditoribus & aliis, quatenus res omissæ inferri deinde possunt. *Montic. de invent. p. 54. n. 53. Benincas. de Privileg. pauper. p. 985. n. 34. Gloss. ad §. fin vero de jur. de lib.*

LXIV Hæc protestatio efficit ut quodocunq; res nondum inscripta, sit inventa, ut ea possit tunc inscribi cum invenitur, quæ inscriptio nova fertur sursum propter protestationem, hoc est, fingitur facta eo die, quo est confectum inventarium, *Sichard. n. 12. §. fin a. dubius.* Et sicut heredem ab ignorantia & culpa excusat, sic dolosum, quando certo constare cœpit, non relevat. Est enim protestatio contraria facta, quæ protestanti non prodest.

LXV. Dolus siquidem non præsumitur sed probari debet & confectio Inventarii legitima præ se fert præsumptionem juris & de jure, quæ probationem in contrarium admittere non videtur. *vid. Vvesemb in π de probat. num. 15. l. F. ibiq; restrictiones.* Duo tamen remedia in jure prodita sunt, quæstio servorum & jusjurandum heredis, sic tamen,



tamen, ut, qui quaestionem urgent prius praestent juramentum calumniae, l. 1. C. de jur. propter calum. Juramentum heres tunc praestare debet, quando creditores & Legatarii tempore conditi inventarii non praesto fuerint, & praestatur etiam si nihil probaverint. Nov. 1. c. 2. l. ult § licentia 10. verb. vel per sacramentum C. h. t. Contumaciter absentibus neutrum horum datur, Rittersh p. 6. c. 8. n. 31. in f. Nov. 1. c. 2. §. 2. vers. si vero Giph. ad §. fin. a. in h. l. ult. l. 34. l. 38. ff. de jurejur. Wesem. in π de jurejur. n. 3. Hill. in Don. 7. c. 3. lit. N. Cogitur tamen hoc juramentum praestare (si ei deferatur) quod nihil plus in hereditate fuerit.

LXVI. Hæ solemnitates, licet strictè observandæ sint, ubi jus civile dominatur, tamen ubi statuto vel consuetudine expirarunt & sublatae sunt, sufficit secundum loci cujusque consuetudinem inventarium confectum esse, aliàs Sneiderius no ex Jafone & Castr. adnotante vix fieri potest, ut omni vitio careat, quod utilissimum notabile in praxi esse affirmant. Sich. hic n. 27 Moll lib. 2. semest. c. 14 n. 4. Rittersh. ad Nov p 6. c. 8. n. 10. Myns. resp. 79 n. 50 Rauchb. lib. 2. quest. 24 n. 21. Coras. de Invent. p. m. 540 n. 19.

LXVII Quia inventarium à Notario conscriptum moribus hodiernis in instrumentum publicum redigitur. Instrumentum enim à Notario confectum publicum est. l. scripturas 11. C. qui potior in pign. habeant. Nov. 73. c. 7. Wesemb. in ff. de Instrum. n. 2. Bocer. Cl. 6. disp. 24. th. 8. ubi plures allegat, omninò necessarium videtur, ut præter solemnitates supra relatas clausulæ ad instrumentum publicum pertinentes apponantur, ne illis omissis inventarii confectio in dubium vocetur, & periculosa exoriatur disputatio, de quibus clausulis habetur in Nov. 47. & in Recess. Imper. d. Anno 1512. von vnter richtung der offenen Notarien §. vnd nach dem/ de quibus videri possunt, Treutl. vol. 2. disput. 5. Th. 3. Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 24 n. 39. & seqq.

LXVIII Haftenus necessitatem confectiois inventarii heredi incumbere dictum, quari solet, anne descriptio bonorum

bonorum à defuncto facta ab hac necessitate liberet? Ubi in negantium castra descendendum est. Inventarium enim incipere debet ab herede & non à defuncto, siquidem non bona viventis, sed mortui considerantur, cum viventis nulla sit hæreditas, tum quia res deinde vel augeri vel minui possint, nec idipsum suis solemnitatibus destitutum esse oporteat, quod alias impræsentiarum fieret, Resp. Altorf. 53. & 64. Mejer. in Colleg. argent. vol 2. de acquir. vel omitt. hered. n. 26.

LXIX. Quid si jurata fuerit descriptio? quia hereditatis duplex est consideratio, una resp. creditorum, altera heredum & fideicommissariorum. Priori respectu fieri non potest, ut in eorum præjudicium omissio Inventarii concedatur, quò iis defunctis bona perscrutari, sibiq; nomine hypothecæ vindicare aut aliis juris remediis adversus eos uti sit prohibitum, Auth. quod obtinet C. de probat. & ejus ratio manifesta in Nov. 48. c. 1. §. 1. à Justin. redditur, quòd Legibus declaratum sit, quod quæcunq; quilibet pro se dixerit aut scripserit, hæc nihil ei prodesse, neq; creditoribus præjudicare, & aliàs instrumenta domestica & privata annotatio, si non aliis administriculis adjuvetur ad probationem sola non sufficiunt, l. instrumenta 5. l. 6. 7 C. de probat. l. scriptura 10. C. comm. utriusq; jud.

LXX. Hoc tamen secus in descriptione bonorum quoad heredes, tam suos quàm extraneos & ratio diversitatis est in præf. Nov. 48. quia una quodammodo est persona heredis & ejus qui hereditatem in eum transmittit: sicut jam nemo propriis dictis & factis contravenire potest, maximè juratis; Ita heres, qui cum defuncto habetur pro una eademq; persona, sermonibus testatoris reluctari nequit, d. Auth. quod obtinet C. de probation. Hæc de jurata descriptione verum est: Quod si injurata fuerit, veritati non officit, sive testator ampliaverit sive minuerit verbis testamenti vires patrimonii sui l. scriptura 10. C. comm. utriusq; jud. l. 1. C. arbitr. tutel. l. si fundum 81. §. 4. ff. de leg. 1. l. cum pater. 77. §. 30. ibiq; Gothofr. in not. ff. de legat. 2.

D

Ex



LXXI. Ex quo hoc notandum est, si quis contractum aliis de jure non subsistentem celebraverit, v. c. rem conjugii inter vivos donaverit, vel alicui aliquid remotis testibus dederit, volens, ut post mortem apud illum maneat, & vivus ejusmodi donationem propalare noluit, tunc si in testamento suo fecerit designationem juratam, eò mortuò, heres alia bona, quæ in designatione non habentur tanquam hereditaria petere non potest, aliàs toto in testamento sibi relicto privaretur, *argm. Auth. quæ obtinet C. de probat. Ibiq; Dd. Dn. Pres. h. l.*

LXXII. Quæri & hîc solet, an Testator inventarii confectioem remittere aut vetare possit? Ubi distinctio prior accommodari potest, ut, si in præjudicium coheredum legatariorum aut fideicommissariorum remissio vergat, fieri possit. Sicut enim testator illis nihil relinquere, imò & ea relicta vivus adimere poterat, *tot. tit. ff. de adimend. legat.* Ita multò magis in iis, quæ illis reliquit, potest præjudicare. Testator enim potest prohibere, ne fideicommissarius exigat cautionem fideicommissi servandi causa ab herede dari solitam, *l. 2. l. pen. C. ut in possess. leg.* Ut cautionem in favorem fideicommissi inductam prohibere potest, ita & hoc posse videtur. Inventarium non jubetur à Lege, sed pro arbitratu eo uti permittitur. Posteriori casu non potest in testamento suo Creditoribus præjudicare: habent enim creditores fundatam intentionem contra heredem, ut obligetur in solidum, *Nov. 1. c. 2. §. 2. vers. si vero Jul. Clar. lib. 3. sent. §. testamentum q. 66. Bald. ad l. Imp. C. de arbitr. tutel. num. 6. Wesemb. part. 2. conf. 86. n. 2. & seq. Paris. l. 2. conf. 68. num. 57. Sich. hic n. 15.*

LXXIII. Volunt etiam nonnulli inventarium judicialiter debere fieri & sine præsentia judicis nullum esse, *Rol. à Vall. vol. 2. conf. 13. numer. 16. Anget. de perus. in tract. de invent. num. 11. & 12. p. m. 514.* Sed assertio illa caret fundamento, nec moribus nostris obtinet, quibus extra judicium in ædibus pri-

120
bus privatis sine iudicis aut alterius à iudice missi præsentia
inventaria conficiuntur, nec usquam in iudiciis his contro-
versiam motam fuisse, *Excellentiss. Dn. Pras. in prælect. affirm.*
h. l. denique quia non in textu nostro ulla mentio injicitur,
præter legem, aliam solemnitatem adjicere infrequens
esset.

LXXIV. Nec huic assertioni officit, quod ante confe-
ctionem ad instantiam heredis Creditores & Legatarii cita-
ri debeant, *Nov. 1. c. 2. ut sup. dict.* nec quod Episcopi illud
coram iudice conficere teneantur, *l. nulli 28. §. cum autem 2.*
C. de Epis. & Cler. Nam citatio, quæ coactionem in se con-
tinet, à nemine, præterquam à iudice fieri potest, quia par in
parem non habet imperium, qualis citatio præcisè hic non
requiritur, sed sufficit publica notificatio & convocatio, si-
quidem beneficio huic, quod in eorum præsentia res confi-
gnari oportet, renunciare possunt. Alter textus agit de se-
paratis, non de herede; sed ubi heres nullus est, de heredi-
tatis executore, qui ut omnem suspicionem evitet, & offi-
cium suum eò dexterius exequatur, publicè id facere non
negligat.

LXXV. Hactenus dictum quinam, de quibus rebus,
quomodo & ubinam inventarium conficiant: Jam ad quid
inventarii confectio proficit, dicendum: Ubi alium finem
juris deliberandi Impp. Hadrianus & Gordianus intende-
runt, alium Justinianus. Illi liberationem militis ab impro-
visi & latentis æris alieni solutione, *§. extraneis vers. sciendum*
inst. de her. qual. & diff. in pr. vers. cujus. Hic non solum hoc à
militibus ad paganos omnes & singulos traduxit, & eos non
minùs ab æris alieni sed etiam certi & noti solutione *l. ult. in*
pr. vers. cujus sensus C. h. t. ut etiam juramenti, quo aliàs medie
ante vires hereditatis indicare coguntur, difficultate libe-
rat, tum ut eò citius voluntas defunctorum impleatur,

D 2

& uti

& uti hæres sibi prospiciendo sic similiter creditoribus, legatariis & fideicommissariis non etiam obsit, *Franc. porcell. de invent. C. 1. numer. 1.* Denique est finis per accidens, videlicet, ut patrimonii quantitate defuncti perspecta judicari possit, an etiam in censuragendo defunctus fideliter bona indicaverit, *Mejerus in colleg. argent. d. tit. n. 34. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 20.*

LXXVI. Jam sequuntur legitimè confecti inventarii effectus & utilitates, quarum respectu rectè à Justiniano divinum rescriptum vocatur, inter quas non minima, ut inventario legitimè confecto nullum damnum timere possit, nec teneatur creditoribus ultra vires hereditatis, *l. ult. §. 4. C. de jur. deliber. §. 5. inst. de hered. qual. & differ.* Hereditas enim inventarii beneficio adita, pro non adita habetur, & sicut quis ex hereditate non adita nullum damnum sentit, sic neque ex hac. Quæ exceptio tanta, ut post latam sententiam opponi queat, *Didac. Spin. in spec. testam. Gl. 35. n. 42. Petr. Duennas reg. 250. Marant. in process. de ord. jud. 6. p. m. 9. n. 17.* quæ tamen sententiam in totum non enervat, sed modificat. An autem hoc procedat in feudo hereditario & in c. r. *An agnatus vel filius defuncti, 2. Feud. 45.* & quid his in casibus tam de jure communi quàm Saxonico obtinet, *vid. Hart. Pistor. l. 2. quest. 1. n. 53. & 73. It. quest. 2. n. 45. it. quest. 14. num. 48. Curt. Jun. l. 1. quest. 8. n. 2.*

LXXVII. Hoc autem non in omnibus creditoribus, sed puris obtinet. In mixtis enim secus est. E. g. si heres & defunctus correi debendi sint in solidum, & si heres convenitur ex persona sua, obligatur in solidum, sin ex persona defuncti usq; ad vires hereditatis *Auth. hoc ita C. de duob. reu. Montic. in expl. d. l. ult. p. m. 76.* quibus casibus quisq; in solidum non atento divisionis beneficio tenetur, *vid. Matth. Steph. nov. 99. n. 78. & seqq.*

LXXVIII. Ut hujus legis beneficio non juvantur, qui in illam committunt, id, uti de jure civili non habet dubium; sic de jure canonico graviter controversi solet. Nos & hoc
jure

121
jure ultra vires teneri concludendum putamus, cum jure pontificio nihil sit immutatum & agatur de re civili, hoc est, hereditate, non verò de Ecclesiastica *Panorm. in C. duanos de usur. n. 11. Wesemb. conf. 13. n. 39.* Imò quia heres defuncti animam exonerare tenetur, ejus quoq; debita luere debet, *c. fin. X. de sepult. Abb. in c. nihil prodest 2. X. de præscript. Cornel. Benincas. de privil. paup. in ult. volunt. p. 976. n. 13.*

LXXIX. Sciendum quoq; licet hoc jure Saxonico pœna non confecti inventarii obtineat, uti supra dictum, tamen Colerus de process. execut p. 2. c. 3. n. 400. dicit, quod nemini autor esse velit, ut inventarii confectioem omittat, ne apud creditores & legatarios in suspicionem expilatæ hereditatis deveniat & heres hereditatis vires mediante juramento patefacere compellatur, *Nov. l. c. 2. in pr. & §. 1. Ut Dan. Moll. lib. 2. semest. c. 14. n. 3. in f. testatur à multis annis tam in Scabinatu Lipsensi, quàm aliis harum provinciarum judiciis observari, uti quotidie in curia hac provinciali & collegio Juridico Wittebergæ pronunciari testatur Dn. Præf. d. l.*

LXXX. Hoc juramentum, quod ex Legis dispositione imponitur & succedit in locum deficientis inventarii, ejus naturæ est, ut quantumvis ab actore reo delatum, nequaquã referri possit, *Coler. de process. execut d. c. 3. n. 402. ubi ait anno 1577. mense Januario Scabinos Lipsenses ita respondisse. Et idem in aula Electoris Saxonie die 22. Junij 1584. pronunciatum fuisse, ex annotationibus Dn. Teub. ejus gener Andr. Rauchb. refert l. 1. quæst. 10. n. 32. cujus rationem adducit Moll. l. 2. semestr. c. 14. n. 4.*

LXXXI. Heres tamen heredis non tenetur res defuncti mediante juramento indicare, si inventarium producere non possit, quia justam ignorantie causam habere censetur, cum in juramento debeat esse rei intellectus & scientia, *l. 6. C. de procurat. l. 3. C. de reb. cred. l. 21. v. sin a. C. de fund. instruct. vide 5. Gottfr. in not. de hic qui ad Eccles. l. 3. § 4. l. n. quam nemo in alieno facto habere creditur. Hart. Pistor. observ. 137. n. 3. & ita in causa, Streubeln cont. Stammern / Wittebergæ pronuncia-*

tum fuisse in observat. manuscript. annotavit Dn. Benedi-
ctus Carpzovius p. m. quondam hujus Academiae celeber.
Jctus, ac à Lipsensibus responsum meminit, *Hartm. Pist. de*
observ. 132. n. 7. heredes ejus, qui occupaverant hereditatem,
debere eam restituere, vermittels eines beständigen Inventarii.
oder in mangel dessen vermittels Endes als viel ihnen wissentli-
chen/ vnd sie von ihren Händen empfangen.

LXXXII. Vi hujus inventarii heres deducto prius ære
alieno §. cum autem Inst. de Leg. Falcid. bona quippe aliàs
non intelliguntur, nisi illa, quæ post solutum æs alienum su-
persunt, *l. mulier 72. ff. de jur. dot. l. subsignatum 39. §. 1. ff. de*
V. S. ibiq; Clariss. Dn. Simon Tölemannus p.m. quond. Præcept. pl. ho-
norandus, deducit, de residuo falcidiam *l. ult. §. 4. C. h. t.* hoc
est, ut quarta pars apud heredem remaneat, ceteræ tres por-
tiones apud Legatarios seu fideicommissarios, quod etiam
ante Justinianum obtinuit; hac autem Justiniani constitutio-
ne effectum ut non facientes amittant falcidiam & præsent
legata integra, quod loco pœnæ constitutum, *Giph. ad §. sin*
autem p. 92.

LXXXIII. Magnus quoque ejusdem confectiois effe-
ctus est, quod heres possit solvere cuivis Legatario vel credi-
tori primò venienti, & non tenetur ab eo recipere cautionem
vel satisfactionem, sicut opus habet tot. tit. ff. *Si cui plus, quàm*
per Legem Falcid. quod procedit, ubi heres conditionem
creditorum ignorat, aliàs si sciverit, non debet illis solvere
sine sufficiente cautione, *l. dolo 41. ff. ad Leg. Falc.* annotante
Gothofr. in l. ult. §. 4. lit. a. C. h. t. Et licet dein creditores po-
tiores veniant, nullam tamen adversus heredem intentare
valent actionem, sed illum quietum relinquere coguntur,
l. ult. §. 4. C. de Jur. deliber.

LXXXIV. Ne tamen creditoribus id, quod ipsis jure ob-
ligationis per solum tempus, quod nec est modus pariendæ
& solvendæ obligationis *l. obligationum 44. §. 1. vers. placet ff.*
de oblig. & action. creditum suum amisisse videantur, salvum
habent suum jus adversus legatarios, cum æs alienum sem-
per

122
per absorbeat legata, l. 1. ff. ad Sctm. Trebell. adversus credito-
res vel posteriores vel æquales. Siquidem inter plures con-
currentes creditores regulariter prior in tempore præfertur
in jure posteriori, qui generaliter 2. l. potior. 11. in princip. l. creditor
12. in pr. ff. qui potior in pign. & l. si fundum 4. C. eodem.

L X X V. Remedia, quæ creditoribus adversus legata-
rios competunt, sunt actio hypothecaria & condictio inde-
biti, adversus creditores posteriores tam actio hypothecaria,
quàm condictio ex lege l. ult. §. sin verò §. vers. licentia C. h. t.
Hypothecaria agit, quoties legatario res in solutum data est,
quæ creditori vel generaliter vel specialiter hypothecata fu-
it, cum omnis actio realis suum possessorem sequatur, l. si
fundus 16. §. in vindicatione 3 ff. de pignorib. Condictio indebi-
ti datur creditoribus Chirographariis vel hypothecariis re,
non extante, sed venditâ: & legatario pretio soluto, cum res
extinctæ vindicari non possint, sed condici debeant, §. si ali-
enum instit. de rer. divis. quæ ex æquitate naturali proficiscitur,
l. naturaliter 13. §. ult. ff. de cond. indeb. & mavult, ut credito-
ribus de damno sollicitis quàm legatariis de lucro agentibus
sit consulendum: Melius enim est favere repetitioni, quàm
adventitio lucro, l. 41. in f. de R. J. Nec est novum, ut alius
solvat, alius repetat, ut in l. 3. l. nec est 5. & l. dominus 53. ff. de
cond. indeb. ubi exempla sunt de alio solvente & alio repe-
tente.

L X X V I. Hypothecaria adversus Creditores
posteriores agit, quoniam potior est jure, qui potior
est tempore, l. potior. 11. l. creditor 12. ff. qui potiores pi-
gnore, quod de prærogativa hypothecarum intelligendum:
privilegiatæ enim actiones ex causa, non ex tempore,
æstimantur, l. privilegiatæ 32. ff. de reb. author. judic. poss. Con-
dictio ex lege toties, quoties res non extant, datur & hæc
propterea, quia qui æquitate naturali deficiente, ut in priore,
non amplius condictio indebiti, sed quia in pari causa sed di-
spari tempore sunt, conditione ex lege agendum erit, Giph.
ad L. ult. C. de form. & effect. invent.

Si

LXXXVII. Si autem creditores habent æquale jus, & unū est solutum, tunc alter, cui adhuc nihil est solutum potest agere contra creditorem, ut hoc, quod accepit, secum communicet vel dividat, arg. *l. si non expedierit 6. §. si pupillus, v. quod si utroq; ff. de bon. auth. judic. possidend.* Si non fuit negligens & sic in culpa; alias ex jure non est obligatus, *Gothof. ibid. in notis. it. in l. ult. §. 4 lit. b.* Et sic creditoribus adversus legatarios & fideicommissi. jus suum semper salvum est, adversus creditores restrictivè & certis modis.

LXXXVIII Similis effectus confecti inventarii est ut creditoribus vel legatariis satisfacere queat vel ipsis rebus in hereditate existentibus, vel rerum venditione, & exinde redacta pecunia, *l. ult. §. sin vero 6. in pr. & sic except. é à com. reg. quod aliud pro alio creditore invito solvi non possit.* In heredis enim potestate est an velit rem ipsam, an pretium solvere, cum alternativè lex loquatur, ubi semper electio est ipsius creditoris, c. *in alternativis de R. 7. in 6. & cogens quendam ad alterum præcisè solvendum, plus petere videtur, §. 23. Inst. de actionibus,* quia debitori solventi facultatem eligendi aufert.

LXXXIX Non minimum inventarii privilegium quoq; est, quod emptor rei hereditariæ ex causa solvendi debiti distractæ vel à creditoribus, vel legatariis hypothecaria non inquietari possit, *l. ult. §. sed nec adversus, 8. C. de jur. deliber.* Et licet pignoris hæc sit natura, ut creditor adversus quemvis possessorem persequi possit, *l. si fundus 16. §. in vindicatione ff. de pignoribus.* Exceptio tamen est in Emptore rei hereditariæ pignoratæ, & ejus ratio est propter heredis favorem, qui iterum ab emptore evictionis nomine conveniri posset, *l. Julianus 13. §. offerri 7. C. de Eviction.* qui tamen sine omni damno & periculo esse jubetur, *vid. Gothofr. in l. ult. §. sin vero 5. lit. i.* venditio a. rei alienæ nullum facit Domino præjudicium si justo tempore supervenit, *vid. ibid.* salubres cautelas huc pertinentes *vid. apud Capol. caut. 225.*

Non

XC. Non dispar effectus est etiam in feudo à patre alienato, quod filio ex hac causa revocare licet, quantumvis ex bonis hereditariis tantundem percipiat, quantum feudum alienatum valet, quia heres ex hoc beneficio nihil damni sentire, nihil ex sua substantia amittere, sed ab omni damno, quod ipsi ex aditione contingere potest, immunis esse debet, *l. fin. §. etsi prefatam 4. & §. licentia 10. C. h. t.* quia durum & iniqum alteri etiam pro justo pretio vendere, & aliud pro alio recipere debere, *l. durum C. de contrah. empt.* Deniq; quia affectio erga avita bona major est, quàm maxima sui patrimonii imminutio, *l. si in Emptione ff. de minor. vid. Hartm. Pist. quest. 9. n. 30. per tot. Sich. in §. in computatione n. 8. per tot. dissent. Rittersh. ad Nov. part. 6. c. 8. n. 29. in f.*

XCI. Nec hoc confecti Inventarii minimum beneficium est, ut adita hereditate obligationes & actiones heredis adversus defunctum non confundantur, sed salvæ maneant quoad effectum per fictionem juris, quod tamen aliàs secus est per jura manifesta. Si enim heres ex beneficio inventarii in eo loco sit, ie quo fuit ante aditionem hereditatis, ad hoc ne damnum capiat: At tum obligationes & actiones non fuerunt confusæ. Ergo quoq; nec postea. Et sic obligationes & actiones non peribunt & confundentur, sed salvæ manebunt uti aliis creditoribus, *l. ult. §. in computatione 9. in f. C. h. t. Ibiq; Sichar. Giph. & cet. Dd.* Idq; in omnibus bonis tam allodialibus, quàm feudalibus obtinere affirmat, *Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 22. in f.* quas tamen de iis obligationibus exaudire decet, quæ cum morte defuncti non deficiunt, non de aliis, quæ cum persona expirant, ut furci, injuriarum & similes *l. 1. ff. de privat. del.*

XCH. Porrò nec contemnenda est utilitas, quod heres durante confectioe inventarii, nec à legatariis nec à creditoribus conveniri queat, quia facit hereditatem tamdiu jacentem *Rittersh. eod. n. 24. l. fin. §. donec 11. C. h. t.* adeò, ut executio instrumenti guarentigionati, quod alias executionem, ut loqui solemus, in dorso ferre solet, *Didac. Spin. in spec. testam.*

testam. gl. 35. n. 46. & est heredi adversus omnes creditores hereditatis sufficiens exceptio dilatoria, quæ tamen actionem, quæ forsan fuit temporalis aut præscriptione deficiens, non tollit, *l. ult. §. donec 11. ibiq; Gothofr.* qui causam assignat *in f. C. h. r. quod tamen in legato ad pias causas limitat, Tiraq. de priv. piar. caus. pr. 26* plures limitationes vide *ap. Gothof. in not. ad L. ult. §. licentia 10. lit. C.* ille tamen alios intra illud tempus convenire non prohibetur, *Gothof. post Bart. ibid.*

XCIII. Porro deducit heres omnes expensas, tam in ægrotantem, quæ cæteris in mortuum factis à jure æquiparantur, *l. legatum 3. C. de religios. & sumpt. funer. l. in restituend. 4. C. de petit. heredit.* quam in defunctum factas ante omne æs alienum, easq; jure retentionis sibi servat, *l. penult. ff. de relig. & sumpt. funer. l. 2. de privil. credit. l. fin. §. in computatione 9. C. h. r. §. fin. Inst. de L. Falcid.*

XCIV. Non minus expensas in Inventarii confectio- nem, in testamenti insinuationem & publicationem, Notariorum adhibitionem & testium productionem, ut & alias necessarias, sine quibus res hereditatis futura esset deterior, *l. fin. §. in computat. 9. C. h. r.* quæ omnes tamen intelligi debent de probabilibus & legitimis: Expensæ enim non egrediantur probabilem h. e. justum & legitimum modum *l. & si quis 14. §. hæc actio. 6 l. inter quos 39. §. fin. cum l. seq. ff. de damn. inf. arg. l. antep. ff. de condit. & demonstr.*

XCV. Quæri solet, an heres etiam expensas pro obtinenda hereditate factas deducere possit. Ubi affirmativam sequi tutius erit; quia hæ expensæ defuncti causâ fiunt, cum interfit, ejus voluntatem ultimam defendere, sive moriatur testatus sive intestatus ut legitimus hæres succedere possit, *l. ult. ibiq; Gl. & Dd. C. de petit. hered.* & ut ita sit defensa, vel expressa vel præsumpta voluntas defuncti sufficit & sic factæ impensæ, dicuntur factæ gratiâ defuncti & hereditatis, *Sich. in l. ult. §. in computatione n. 5. Porc. in tract. de invent. n. 8. Diss. Treutl. disp. 12. vol. 2. Th. 9. lit. D ibiq; Bacch.*

Quæ

124
XCVI. Quæ expensæ omnes & singulæ eatenus deducuntur, quatenus probantur, *l. ult. §. 9. h. t.* probantur autem per testes & instrumenta, *h. e. apochas*; non autem per iuramentum nisi in supplementum *l. 3. C. de reb. credit.* quando aliquid semiplenè probatum est videlicet per unum testem, vel aliquid simile, tunc ista semiplena probatio potest integrari per iuramentum, *Sichard. in l. 3. C. de reb. cred. n. 25. & seqq.* de quibus pro instituto plures apud dictos Dd. videri possunt, non enim omnium Doctorum lacunas exhaurire animus est.

XCVII. Ut diversarum personarum diversæ sunt qualitates, sic obligationum & causarum diversarum diversæ sunt actiones, quibus unusquisque, quod suum est, sibi persequitur. Alia enim competit actio heredi, ad consequendam sibi hereditatem, & omnia quæ in ea relicta sunt, videlicet petitio hereditatis, quæ, qualis, quomodo & quando institui debeat, *vid. ap. Wesemb. tot. tit. ff. de pet. hered. & tot. tit. de fideicom. hered. petit. Pac. in libr. method. cod. de petit. hered. c. 4. n. 19.* vel inter coheredes iudicium familiæ eriscundæ, *tot. tit. ff. & C. famil. erisc. ibiq. Wesemb. & Pac.* alia competit legatariis & fideicommissariis, quæ adversus heredem cunctantem agere possunt, quæ, qualis & quotuplex *ex §. sed olim 2. inst. de legat. ibiq. Harpr. cognoscere licet, Treutl. vol. 2. disp. 13. th. 2.* Quoad processum harum alia, instituitur via ordinaria, alia via executiva, quomodo & quando quælibet institui possit, & præsertim in hoc passu *vid. apud Bach. d. Th. 7. lit C. verbo neq; via executiva in f. p. 838. Didac. Spin. in spec. Testam. gl. 35. n. 57. Myns. cent. 5. obs. 61.* Item quomodo in libello vel cumulari vel non cumulari possunt tam quoad fundamenta Theoretica quàm practica vide dictis locis *apud Treutl. ibiq. Bacch. lit. D.*

XCVIII. Affinia sunt (1.) inventarium, quod fit de bonis confiscatis *l. si quis 7. C. de bon. proscript. & l. si vacantia ult. C. de bon. vacant.* (2.) Inventarium quod fit ab Episcopo *l. 28. C. de Episcop. & Cler.* (3.) quod fit per curatorem datum ventri, *l. 1. §. penult.*

§. penult. ff. de inspici. ventr. (4.) quod facit curator bonis datus, l. ult. §. 5. C. curat. furios. (5.) quod faciunt creditores de bonis debitoris l. cum plures ult. ff. de bon. auth. jud. possid. (6.) quod facit tutor pupilli vel curator adolescentis l. 7. ff. de administr. tutel. l. ult. C. arbitr. tutel (7.) Orphanotrophorum seu hospitaliorum, argentariorum, negotiorum gestorum &c. vid. ap. Giph. Coras. porcel. dd. locis.

X C I X. Contraria sunt, (1.) omissio inventarii, quæ obligat omnes æri alieno & solidis legatis excepto milite, qui tantum pro his rebus, quas in hereditate invenit, convenitur, l. 12. C. de testam. milit. & sic non in solidum, vid. pr. l. ult. lit. S. l. ult. §. ult. C. h. t. de cæteris omissionis pœnis singulis, longum foret sigillatim omnia annotare (2.) dolus in inventario hereditatis commissus, de quo supra (3.) prohibitio testatoris, ne faciat inventarium, de qua etiam supra (4.) Error Tabularii in forma constituendi inventarii, l. ult. §. sin vero 12. in verbo secund. formam Hilig. in Don. enucl. lib. 7. c. 3. lit. C. Vid. Mejer. in Colleg. Argent. d. l.

C.

Effet hic inferendus totus in aditione & confessione inventarii procedendi modus, cum formulis instrumenti usitatis clausulis tam latinè quàm germanicè conscripti, sed propter pagellarum penuriam omitti oportuit, vide tamen de his Angel. de Perus. in tract. de invent. per tot. Francis. Porcell. in d. tract. c. 3. n. 16. Volckm. in inform. Notar. p. 4. c. 18. per tot.

F I N I S.


ULB Halle
004 961 196

3



WMA







Disputatio Juridica
De
TRIBUS HEREDITATEM ADEUNDI
MODIS ET INVENTARII
CONFECTIONE

4 1074

21

1631 36

Quam
D. T. O. M. A.
Magnifico Jctorum ordine approbante
Ex
Praelectionibus publicis ad L. ult. C. de Jur.
deliberandi petitam
SUB PRÆSIDIO
Viri Amplissimi, Excellentissimi
ac Consultissimi

DN. CONRADI CARPZOVII
J.U.D. Electoris Consilarii, Antecessoris Academiae
Witteberg. Consistorii Ecclesiastici ibidemq; Facultatis Juri-
dicæ & per inferiorem Lusatiam Judicii Adessoris dignissi-
mi, Promotoris, Præceptoris & Hospitis summo
observantiæ cultu venerandi,

Publico examini subjicit
GEORGIUS MALLUJANUS S. Pomer.
In Auditorio Jctorum horis à 7. matutinis,
Ad 24. diem Martii.

WITTEBERGÆ,
Typis GEORGII MÜLLERI, Anno 1631.

